



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Caput 39 [i. e. 38]. De pedibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

Oratorium, esse comma grammaticum. Præterea dum Orator per incisum interrogat v. g. domus tibi deerat? aut per membrum exclamat v. g. ô callidos! homines! non ponitur comma, vel colon grammaticum, sed signum interrogationis, vel exclamationis; & tamen est incisum & membrum, igitur hæc idem non sunt. Et verò interpunctiones illæ grammaticæ à magis vel minus expleto sensu dependent. Comma autem & colon, seu Incisum & Membrum Oratorium à magis vel minus expleto numero Oratorio, id est, aurium iudicio & expectatione. sed de his consule Grammaticos.

CAPUT XXXVIII.

De Pedibus.

Præcipuum, & quod tanquam differentia à commate, colo & puncto collocatur in definitione incisi, membri & periodi, est numerus oratorius; non enim satis est Oratori scire in partes orationem, quia hoc faciunt Grammatici, & scriptores alii per commata, cola & puncta; sed requiritur etiam, ut incisa, membra & periodi aptè cadant ad aurium iudicium & voluptatem. Hoc autè facit iusta pedum dimensio; unde numerum oratorum ad similitudinem poëti definiunt communiter sic: Est suavis quædam orationis modulatio, ex apta pedum collocatione & varietate pro-

proveniens. Et oratio numerosa est, quæ longis, brevibusque syllabis concinnè collocatis, jucunda progreditur, & aptè cadit ad aurium gratiam & lenocinium. Qui porro pedes usui sint Oratori, collocantur ab Authore hoc capite, quod require.

C A P U T XXXIX.

De numero Oratorio.

Licet autem pedibus utatur Orator pariter ac Poëta, non tamen adstringitur ad certos tantum pedes, neque ad ponendos certo ac inviolabili ordine, quemadmodum adstringuntur Poëtæ. Unde oratio neque tota constat ex numeris, ut metrum, neque tamen est sine numeris ac pedibus; quod ex capite difficilius est constare orationem numerosam: certam enim pedum legem non habet Orator, uti Poëta; sed ex Oratorum scriptis cognoscere habet, qui pedes initio, qui in medio, qui in fine magis probentur; quod lectione assiduâ Ciceronis atque imitatione assequetur, nec non inspectione præceptorum, quæ in sequentibus capitibus tradit Author, ad quem te remitto. Vide etiam quæ Causinus l. 7. c. 8. 9. 10. Palatium Eloquentiæ à fol. 26. Breviter P. Balbinus in quaestio 29.